



munitum, quod Ælfredus Rex expugnavit. Inde *Hadleigh* quondam *Huberti de Burgo*, postea *Thomæ Woodstochii* castrum, ruinis jam deformatum, & demum *Leegh* oppidulum elegans, strenuisque nautis refertissimum, illique vicinum *Pritwell*, ubi cellam monachis *Sweno de Essex* olim construxit. Vbi terra in promontorium se projicit, quod *Blacke-taile Poynt*, & *Shobery-Nesse* dicitur à *Shobery* viculo imposito, quæ olim Vrbs fuit *Sceobirig* dicta. In veteribus enim Anglorum Annalibus legitur, *Dani à Beamfleot fugati urbem qua lingua Anglorum Sceobirig in East-saxonia sitam adeunt, firmamque sibi munitionem ibi constituerunt.* Hic ripis utrinque deficientibus in Oceanum *Tamisis* vasto ostio evolvitur. Quod *Ptolemæus* *TAMESÆ*, & corrupte in aliis exemplaribus, *IAMESÆ* æstuarium, nos vulgo *The Temes mouth* appellamus.

Shobery.

Anno
894.Roch-
ford.Domini
Roch-
ford.

Havering.

Rum-
ford.
Vide An-
nales
1467.

Introrsum autem *Rochford*, quæ huic *Centuriæ* nomen fecit, locum habet, nunc *Baronum de Rich*, olim vero *Dominos* suos antiquæ nobilitatis eodem cognomine habuit. Quorum hæreditas ad *Butler Ormondix* & *Wiltonix* Comitem tandem devenit, & ab illis ad *Thomam Bollen*, quem *Vicecomitem Rochford* & postea *Wiltonix* Comitem *Henricus Octavus* creavit, è cuius propagine serenissima *Regina ELIZABETHA*, & *Barones Hunsdonix* effloruerunt.

A *Tamisis* ripa interius cernuntur suo ordine hæc loca celebriora ab Occasu in Ortum, *Havering* antiquus *Regum* secessus, ab annulo quem peregrinus *Regi Edwardo Confessori* à *Divo Iohanne* (ut scribunt) missum eo loci tradidit, denominatus, *Hornechurch*, quod *Cornutum Monasterium* olim dictum. *Cornua* enim plumbo efformata ad Orientalem *Ecclesiæ* partem prominent. *Rumford*, cui gloria à foro suo & ædibus adjunctis *Giddy-ball*, quæ fuerunt *Thomæ illius Coci Prætoris Londinensis*, cui magnæ congestæ opes periculum crearunt maximum. *Innocens* enim læsæ

majestatis pro tribunali accusatus, & *Markhami* Iudicis æquitate iniquissimo tempore absolutus, gravissime tamen facultatibus fere omnibus direptis fuit mulctatus. *Brentwood* & *Engerston*, olim *Engbeaston*, non nisi suis mercatibus & diversoriis nota.

Brent-
wood.

Hic hæreo, & an conjecturam quam mihi parturiit animus nunc quasi abortu effundam subdubito. Cum in hoc tractu urbs fuerit *CÆSAROMAGVS*, & illa proculdubio Romano ævo celebris, hoc enim vel nomen evincat, quod *Cæsaris urbem* significat, ut *DRVSOMAGVS* *Drusi* urbem. Quæ & in honorem *Augusti* constructa videatur. Scribit enim *Suetonius Reges amici atque socii singuli, quisque in suo regno CÆSAREAS urbes in honorem Augusti condiderunt.* Quid si dixerò juxta hanc *Brentwood* *CÆSAROMAGVM* fuisse, non me lector ut aruspex aruspice cum videat, rideat? certe conjecturæ meæ firmamentum ex distantia ratione habeo nullum, cum numeri apud *Antoninum* sint corruptissimi, qui tamen à *COLONIA*, & *CANONIO* satis conveniunt. Nec hic situm ad viam militarem Romanorum in argumentum vocare possum, cum illa nusquam in hoc Comitatu apparet: nec umbra quidem nominis *CÆSAROMAGI* nisi pertenuis hic superest in nomine *Centuriæ* quæ olim *Cæsford* nunc *Cheafford Hundred* dicitur. Sane ut veterum urbium nonnullis vetusta nomina parum variantur, aliis omnino immutantur, ita sunt quibus una & altera syllaba tantum remanet, sic *CÆSARAVGVSTA* *Hispaniæ* nunc variatur in *Saragosa*, *CÆSAROMAGVS* *Galliæ* nomine penitus amisso nunc *Beavois* dicitur, & *CÆSAREA* *Normaniæ* *Cherburg*, vix una syllaba superstita. Sed quid his ludens immoror? Si in hac vicinia non sit *CÆSAROMAGVS*, indagent alii, invenire certe ingenii non est mei, quamvis auritis & oculatis retibus acquisite indagaverim.

Cæsaro-
magus.
qui in Ta-
bula Itine-
raria Ba-
ROMAGVS

Sub his vidimus *South-Okindon* ubi habitavit familia

S. Okin-
don
Bruin
familia